

24. Num. 21. 23. est (u); cum interim adversus Madianitas non nisi cum 12000. selectissimis procederet (x). Copia Israelis omnes obfidionem Jericho susceperunt (y), cum in alteram Hai expeditionem non nisi 3000. primum destinarentur (z); deinde vero omnis exercitus adductus est (a). Eundem gerendi morem secutus est Josue, cum Gabaonitis adversus 5. Reges Chanaanorum suppetias ferret (b); sicut & cum bellum agendum esset in Jabin cæterisque Reges plage Chanaanitidis septentrionalis (c). Rara sub Judicibus leguntur expeditiones ab universo Israele susceptas. Prius enim bellum in Adonibesechum à geminis Tribubus Juda & Simeon illatum est (d). Aod cum Ephraimitis jugo servitutis Moabiticæ Israellem relevavit (e). Sub signis Barac & Deborah nunquam Tribus Ruben, Gad, Dan, & Afer militasse leguntur; unicis tantum Tribubus Issachar, Zabulon, & Neptali res illa commissa videtur (f). Ex 22000. quos in suo exercitu numerabat Gedeon à Tribu Manasse, Afer, Zabulon, Nephthali collectos, solos 300. in expeditionem adversus Madianitas, nec improspere eventu, duxit (g). Exercitu ex Transjordanicis Israelitis constante, Jephthe manus cum hostibus conferuit (h). Unicum ejus ætatis bellum ab universo Israele susceptum, illud est, quod communi decreto adversus Tribum Benjamin statuerunt. Eà expeditione confecta, cum solos ex omnibus civibus Jabes in Galaaditide abstinuisset ab armis animadvertissent, statim manus 10000. virorum immissa est regioni depopulanda, diripiendæ Urbis, neci tradendis viris, foeminis & maribus omnibus, solis exceptis puellis, quæ deinde nuptui reliquis Tribus Benjamin concessa (i).
 Sub Regibus, universo Israele uno sub Principe coalescente, instructiores erant exercitus, majoris momenti & gloriæ expeditiones, militaris disciplinæ rigor exactior. Saul in ipso Regni sui exordio, cum ab arandâ terrâ regrederetur, certior factus Ammonitas arcâ obfidione urbem Jabes vallasse, statim in frustra discerpto, quem ducebat, bove, ejus dissecti partes per universas regiones misit, simul edicens: *Quicumque non exierit, sic fiet bovis ejus* (k). Idem Rex, justus à Domino, arma delendis Amalecitis capere præcepit omnibus, & recensuit eos quasi agnos (l), tum & copias ex omnibus collectas in expeditionem adduxit. Qui postea regnarunt Principes, immanes illos exercitus instruxerunt, de quibus in superioribus.
 Dux omnium supremus in Exercitu Israelis Dominus habebatur, cui proinde nomen inditum *Deus exercituum*; quemadmodum & copias Israelis non semel à Moyse appellantur *exercitus Domini*. Totus in bellum non exercitus sed populus Deo Duce movebatur. Non semel ejus Arca, Dei præsentis symbolum, in mediis castris sistebatur; exaudiebatur buccinarum Aule Domini sonitus, quas Sacerdotes Deique ministri inflabant. Copiarum Imperator non nisi Dei supremi Imperatoris vi-

cibus fugebatur; ipse vero, qui in exercitu Imperator, in Republica Rex, Judex, Princeps habitus est. Milites ad bellum procedentes, in ædibus suis uxores filiosque, tamquam obfides fidei suæ, relinquebant. Semper in bellum ad progrediendum expediti felici quadam necessitate egregie præstandi muneris sui tenebantur, cum pro Patria & Religione pugnandum illis fuerit, quæ charorum omnium in mundo charissima habebant. Ex agris & campestribus exercitationibus ad militiam assumpti, *nescio quomodo minus mortem timebant, quam minus deliciarum noverunt in vita*, ut verba Vegetii lib. 1. cap. 3. usurpem. Ita sub manu exercitus instructissimi simul & florentissimi parabantur. Stipendium solvendi militibus primum Authorem fuisse Joannem Hircanum Josephus Antiq. lib. 13. cap. 16. testatur.
 Moribus Israelitarum nunquam olim receptum fuerat, sive ut militia ad vitæ professionem redigeretur, sive mercenarii milites publicâ impensâ detinerentur; milites simul erant & cives vel agriculatores, vel artifices. Sub Davide primum obtinere cepit, ut milites perpetuò sub signis haberentur Principis impensis (m). Legimus 2. Par. 25. 6. Regem Juda olim sibi 100000. Israelitarum soluto 100. talentorum pretio comparasse. Sed hæc pecuniarum summa non militibus sed Regi solvebatur. Plerumque, qui scriberentur, suis impensis ad bellum procedebant, singuli de suo armis instruebantur, singuli cibos impendio suo parabant, nec aliud laborum suorum præmium expectandum illis fuerat, quam hostium spolia post victoriam. Militaris hæc disciplina, quæ sub Moyse, Josue, & Judicibus servabatur, sub Regibus mansit, nec desit post captivitatem sub Macchabæis, donec Simon unâ simul Summus Sacerdos, & Princeps gentis super mercenarios milites sub signis semper habendos conscripsit. Vide 1. Macch. 14. 32. Eadem recepta fuisse olim apud Romanos, Græcosque in historiis legimus, iisdemque moribus ceteri consuevisse Orientales arbitror. De conscribendorum militum ætate nihil certi. Apud Romanos 17. annorum ætate juvenes sacramento militiæ adigebantur.
 Isai patri David tres erant in exercitu Saulis liberi; David natu minimus pascendis gregibus patris sui domi manserat, eumque subinde pater ad deserendas fratribus necessarias annonas (n), nempe 10. panes, & mensuram ciceris tostii (vulgaris eo tempore cibus erat) in castra mittebat. Delata etiam à Davide, à patre commissa munera, ad Imperatorem 10. rotulæ casei. Ipse David coactus tumultuariam fugam Jerosolymâ capere, metu ne ab Abfalone supprimeretur, oblatos sibi à Siba famulo Miphibosech comæatus itinere recepit [o] 200. panes, utrem vini, 100. alligatas uvæ passæ, & totidem massas palatharum, seu dactylorum. Subventum est etiam laboranti Principi ab amicis, qui in Transjordanis versanti necessaria suppeditarunt (p), tam de stratis,

Hebræorum milites.
 m Vide 2. Reg. 13. & 1. Par. 11. & 2. Par. 18.
 n 1. Reg. 17. 13.
 o 2. Reg. 16. 20.
 p 2. Reg. 17. 28.

tis, tapetibus, vasis fictilibus, quàm de hordeo, frumento, farinâ, frixis ciceribus, & fruxo item tritico, melle, butyro, ovibus, vitulifum faginatis. His exemplis quæ potissimum annona sufficeretur militibus appareat.
 Arma quisque sua providebat. Armamentaria publica construendi mos primum post Davidem obtinuit; sub Judicibus & prioribus Saulis annis rarissima erant in Israele arma. Scitum est Samgar 600. Philisthæos stricto vomere peremisse (q). Debora in suo Cantico victoriam celebrat Israelitarum, quorum exercitus 40000. militibus constans lanceis & scuto carebat (r). Confectis armis usum Sansonem nunquam legimus; quidquid enim primum ad manum veniebat, fringebat in hostes, sive mandibulam asini sive clavam &c. In bellis Saulis adversus Philisthæos, soli in toto exercitu Israelis Rex, & Jonathas ejus filius gladio & lanceis armati apparent. Omnem ponebant curam Philisthæi, qui Hebræos opprimebant, ne ullus unquam armorum Artifex in regionem veniret; ut si quid forte vitii instrumenta colonica contraxissent, illis corrigendis venire in regionem Philisthorum oporteret.
 Sed non diu post Saul Regium sibi satellitium instruens, suos armavit corporis custodes (s), suosque exercitibus Duces constituit. Abner copiarum ipsius Imperator, militibus etiam sub Isbofeth filio Saulis præfuit (t). Copiarum Davidis Præfectus datus est Joab (u); Salomonis Banaja (x). Davide regnante sub signis perpetuò habent 288000. virorum, adjectis insuper Cerethim & Phelethim, qui ex Philisthæis milites dacti Regi serviebant. Eiusdem Regis custodia assignati erant 24000. virorum singulis mensibus (y). Nihil de numero militum detractum sub Salomone; quin & adjecti equi plures & currus. Ad 40000. præsepia equorum, curritum (z) & 12000. equestrum enumerat Scriptura; seu ut alibi etiam annotatum est (a), 1400. currus & 12000. equites instructos habebat, quorum partem in Urbes munitissimas distribuit, partem ad custodiam Aulae retinuit. Rex iste, qui pacifici elogio donatur, solus est inter Reges Hebræos, qui equites & bellatores currus detineret; neque enim sive Davidis patris ipsius, sive Regum post ipsum luxum eò usque procefferat, sed vel solis contenti erant peditibus, vel curribus quidem, ut à Regibus Salomonis successoribus factum, sed rationibus & exercitui formando imparibus. Quin & adeo à curribus abhorrebat David, ut quos olim de Syris ceperat currus & equos, illos quidem crema verit, hos vero præcis crurium nervis ad omnes usus inutiles effecerit (b). Rapaces unus ex Præfectis Sennacherib hæc Judæis exprobat (c): *Babo vobis duo millia equorum, & videte an habere valeatis ascensores eorum*. Græci pariter & Romani olim solis peditibus bella gerebant; lege etiam vetitum fuerat, Imperatores equo vehi; huic in favorem Fabii Maximi derogatum est (d).
 Differt. Calmet. Tom. I.

Solebant ipsi per se Reges in bella procedere, & inter pedites, non secus ac vulgaris quisque miles, manus conferere. An Saul & David equitibus sive curribus uterentur, nullibi constat. Ut studium ejusdem David, conferendi scilicet per se cum hostibus manus, & vitâ suâ sepius in ardore pugne periclitandi universus Hebræorum populus reprimeret, etiam atque etiam rogando vix impetravit (e). Verum sequioribus annis Reges Juda & Israel, omni Regio cultu spectabiles, de curru pugnabant. Sequebatur plerumque Regium illum currum vacuus alter, vel ostentationis gratiâ, vel ut in omnes eventus Regi præsto haberetur (f). Cum Achab & Josaphat junctis viribus in Syros certarent, Rex Syriæ mandatis suos oneraverat, ut omnem pugnae impetum in unum Achabum verterent. Achab vaticinium Michææ Prophetæ, quo sibi mortem portendi audierat, elusus, ementitis vestibus, & nullo à ceteris distincto cultu, in pugnam procefferat. Solus qui Regius insignibus micaret, Josaphat spectabatur; cujus proinde aspectu decepti Syri omnem in illum pugnae impetum verterunt. Sed clamoris sublato indicio agnitus à Josaphat, defectibus aliis hostibus discrimen evasit. Interim casu projecta sagitta Achabum in pectore transfodit, qui se vulneratum sentiens Aurigæ injunxit: *Verte manum tuam & ejice me de exercitu, quia graviter vulneratus sum* (g). Josias transitum Regi Ægypti in expeditionem Assiriæ proficiscenti per terras suas prohibitorum, ementitis vestibus & nullo Regio cultu insignis in pugnam prodivit; nec tamen his omnibus cautionibus vitavit, quin lethali vulnere afficeretur; statimque confossus domesticorum operâ translatus de curru in alterum currum, qui sequebatur eum more regio (h). Abfalom mulum adequitans certabat fatale illud prælium, in quo ipse ex arbore suspensus demum necatus est (i). Amalecitas ille, qui nuncius de occiso à se Rege Saule ad Davidem venerat, sublatam ab eodem Saule armillam & balthæum Regium detulit (k); his ergo ornamentis insignis Saul in pugnam ad Gelboe procefferat.
 De Imperatoribus exercitus Israelitici & Præfectis secundariis suis hic agendum non ducimus, cum alibi de illis longius nos aduros speremus. Illud tantummodo animadvertendum, præter supremum Ducem, quod olim munus sub Saule præstabat Abner, sub Davide Joab, sub Salomone Banaja, notum fuisse in Exercitu *Cbiliarum* seu mille viris Præfectum, quem Vulgata plerumque Tribuni nomine designat. Alter ab illo succedebat *Centurio*, cui inferiores *Clamischim*, sive Præfecti quinquaginta. Erant etiam inter ceteros *Schalschim*, quorum præcisum munus adhuc latet (l). Decuriones in Exod. 18. 21. & 1. Macch. 3. 55. leguntur. Recensentur etiam inter militares Præfectos *Scribae* vel *Legati*, & *Soterim*, Feciales. Hi militiæ Israelitiæ Præfecti, de quibus susius in Dissertatione de Præfectis Regum Juda.

Reges ipsi per se bellum gerebant.
 e 2. Reg. 21. 24.
 f 2. Par. 35. 24.
 g 3. Reg. 22. 34.
 h 2. Par. 25. 23. 24.
 i 2. Reg. 18. 9.
 k 2. Reg. 1. 10.
 l Vide nostrum Comment. in Exod. 14. 7.

Arma
 q Judic. 3. 31.
 r Judic. 5. 8.
 Equi & currus.
 s 1. Reg. 22. 7.
 t 1. Reg. 26. 7.
 u 2. Reg. 8. 16.
 x 3. Reg. 2. 35.
 y 1. Par. 28.
 z Reg. 4. 26.
 a 3. Reg. 10. 26. & 2. Par. 9. 25.
 b 2. Reg. 8. 4.
 c 4. Reg. 18. 23.
 d Plutar. in Fabio.

Ex.

Bella non longius protrahenda apud Hebraeos.

Expeditiones, de quibus in Scriptura, plerumque brevi temporis spatio absolvantur; nec majori potuissent immanes ad eum exercitus detineri, cum maxime nulla compararetur annona, quam singuli sibi parare ac secum deferre cogebantur, nisi forte aliquam partem fuissent in agro & ex hostili raptam. Tota insuper regio misere vastata jacuisset & deserta, si univertus ille exercitus plurimum mensium moram in agro traxisset. Bellum Moysis in Amalec intra unius diei periodum absolutum est. Unius praelii cum Og & alterius cum Sehon praemium fuit utriusque Principis ditio, quam statim a victoria Israelita possederunt. Cum enim in moribus positum esset aetate illa, ut copias omnes Regni in praelium deducerent, post infelicem illius exitum, nihil erat quo alterum praemium instaurare possent. Paucissimorum etiam dierum res fuerunt, per Josue suscepta expeditiones. Angusta erat regio, hostes in fronte, & praelium poscentes, ut ditius quarendi non essent; statim manus conferenda, instruendumque praelium plerumque acre & cruentum, quo de re tota statim decernebatur. Nec raro post eam victoriam actum erat de victis. Moabitibus & Palestina pellendis, sicut & Madianitis regione sua exuendis unicuique praelium, illud ab Aod, hoc a Gedeone commissum, valuit. Celeberrima, undecim Tribuum in Benjamin expeditio paucarum hebdomadarum spatio decreta simul suscepta, & absoluta est. Omnium quotquot intra Palaestinae limites gestae sunt, expeditionum diuturnissima fuit, qua olim Goliath Israeliticis copiis petulans insultabat. Utrique enim hostes, Philisthaei scilicet & Hebraei, in castris & conspectu positis 40. solidis diebus haerant, cum David in castra veniens singulare cum Gigante certamen inivit. Bellum Absalom in David, tum Regum Israel & Juda sive inter se, sive cum Philisthaeis non mensibus & annis, sed diebus tantum durabat. Cum vero sive formandae obsidiones, sive in remotas regiones expeditio suscipienda erat, tunc diuturniora erant bella & ardua, comportandae maxime annonae difficultate. Peracto bello, populus, ne expectata quidem regrediendi facultate, proprias ades & artes repetebat.

Ordo aciei in praelium instruendae.

Gen. 14.8. Judic. 20. 22. & 1. Reg. 4. 2. & 17. 21. n. Cantic. 6. 3.

1. Reg. 15. 4.

Quo ordine acies in praelium instruerentur apud Hebraeos ignotum. His saepe phrasibus Scriptura utitur: *Dirigere aciem; instruere aciem (m)*: *Terribilis ut castrorum acies ordinata (n)*. Textus ad litteram habet, *ut chorus in campo*. Legimus 1. Par. 12. 38. fugienti Saulis furorem David manu strenuissimorum virorum expendentium ad pugnam, vel juxta vim originalis, *qui acies veluti greges instruebant, sese adjunxisse*. Legimus in superioribus Saulem recensuisse suos quasi agnos (o); & 3. Reg. 20. 27. sermo est de Syria, qui validissimum exercitum in Israel duxerant; cum vicissim Israelitae castra adversus illos posuissent, quasi duo parvi greges caprarum. Eadem etiam phrasim usus Jeremias 6. 3. Assyrios de-

scribens, venturos dicit: *Adversus Sion pastores & greges eorum fixerunt in ea tentoria in circuitu, pascet unusquisque eos, qui sub manu sua sunt*. Aciem instruunt Duces veluti Pastores gregem ordinantes Homerus pariter inducit (p).

Porro sine controversia receptum est, Orientales olim acies satis inconditas in pugnam produxisse; maximumque praelii momentum posuisse in impetu quodam, ardore, & virtute militum potius, quam in apta ordinum dispositione, & militari ad Ducis imperium sancte custodita disciplina. Egregia sane virtutis & roboris documenta exhibita ab illis miramur; sed peccatum in his non raro adversus optimam belli gerendi disciplinam.

Agilis in jaculando projiciendisque fundis lapidibus peritia, sicut & in cursu pernicitas plurimum habebantur; qua in re (nempe quod validis tanquam aeneis arcus lacertis instructus esset, & pernicitate quantam cervos aequaret) quod maxime praestaret David gratias Deo agit (q). Azael frater Joab pernicitate omnes sui temporis vincebat, quem proinde Scriptura capreis qua morantur in sylvis, comparat (r). Lecta erat in Tribu Benjamin nec infrequens manus hominum fortissimorum, qui utraque manu expeditissimè utebantur (s). Viri illi fortissimi, qui Davidi Saulem fugienti sese adjunxerunt robustissimi dicuntur, & pugnatore optimi tenentes clypeum & hastam; facies eorum quasi facies leonis, & veloces quasi capreae in montibus (t). Eodem ferme epitheto Homerus Achillem donat: *cursu promptus*. Hac una in re supra Ajacem praestitisse Achillem, cum virtus utriusque esset non impar, Idomeneus ingenue profitetur (u). Heroes illi, qui in praeliis maxime sub Davide excellebant, insigni aliquo virtutis facinore distinguebantur; illis autem gloriae dabatur leones non gladio, sed fuste interemisse; his, tribus tantum viris, per media hostium castra impune transisse; erant quos 300. hominum uno singulari certamine interfectorum gloria commendabat, quos 800. ac tandem tertius his omnibus praestabat, qui solus exercitui Philistaeorum ingruenti restitisset. Nec minor in eo honoris certamine à Macchabaeis gloria relata est, quorum fortiter non minus ac pie & religiose gesta sola historiarum Judae, Eleazari, Jonathae & Simonis lectione se produunt.

Sub ipsum ineundi praelii articulum, vel forte antequam in hostes progredieretur, ante singulas turmas edicebatur (x): *Quis est homo, qui edificavit domum novam, & non dedicavit eam? vadat & revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello & alius dedicet eam. Quis est homo, qui plantavit vineam, nec dum fecit eam communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat & revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo ejus fungatur officio. Quis est homo, qui despondit uxorem, & non excepit eam? vadat, & revertatur in domum suam, ne for-*

p Iliad. B.

Arcus, fundae, cursus maximi apud Israelitas habita.

q Psal. 17. 34.

r 2. Reg. 2. 18.

s Judic. 20. 16. & 1. Par. 12. 2.

t 1. Par. 12. 3.

u Homer. Iliad. N.

Quid ante praelium ediceretur. x Deut. 20. 5.

forte moriatur in bello, & alius homo excipiat eam. Quis est homo formidolosus & corde pavido? vadat & revertatur in domum suam, ne pavere faciat, corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. His simul dictis, continuo Sacerdos ante ipsam aciem itans denunciat: *Audi Israel: vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis: non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidet is eos; quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo*. Hujus disciplinae exemplum habes 1. Macc. 3. 56. Tradunt RR. retrò post militum ordines statui consuevit fortissimos quoque Duces secundarios cum falcibus & acieis, ut si qui forte terga vertere ausi fuissent, statim ab illis trucidarentur. Sed haec silente Scriptura, tamquam Rabbinica commenta deridenda sunt. Ex nonnullis Scripturae testimoniis suspicor, signum praelii non à stantibus sed ab audientibus militibus auditum (y); quod pluribus aliis populis commune fuisse satis constat.

Signum committendi praelii à Sacerdotibus clangore buccinarum dabatur: *Filii Aaron Sacerdotes clangent tubis*, ait Moyses Num. 10. 8. *eritque hoc legitimum sempernum in generationibus vestris. Si extiterit ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant adversus vos, clangetis ululantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut evamini de manibus inimicorum vestrorum*. Sacra habebantur buccinae apud Aegyptios, ceterosque populos; quin & apud eandem gentem sacris hisce instrumentis uti nisi ingenium nefas, amplissimi etiam quique viri è dignitate sua arbitrabantur, si buccinis clangerent (z). Ad bellum in Madianitis Phinees filius Eleazari Summi Sacerdotis missus est, ut vasa sancta & tubas ad clangendum (a) in exercitu haberet. Clangor buccinae praestanda à Deo opis & divinae praesentiae veluti pignus reputabatur. Baalam sub oculis habens subiecta Israelitarum castra exclamavit [b]: *Non est idolum in Jacob. Dominus Deus ejus cum eo est, & clangor victoriae Regis in illo*. Abia Rex Juda his verbis copias Regis Israel affatus est (c): *In exercitu nostro Dux Deus est, & Sacerdotes ejus, qui clangunt tubis, & resonant contra vos. Filii Israel nolite pugnare contra Dominum*. Processum inde ad pugnam, in qua praestantes licet viribus & numero copiae Jeroboam, quamvis universum per circuitum exercitum hostium clausissent, versis tamen militibus Abiae in pugnam, atque sacrarum buccinarum clangore confirmatis, tantus repente terror Israelitas incescit, ut in fugam statim efflui passim ab hostibus cederentur, desideratis ea pugna ex illis 500000. virorum. Scitum est quid in obsidione Jericho insonantibus sacris buccinis monstri acciderit; repente enim corruentes muri aditum in Urbem hosti fecerunt. Josaphat Rex Juda in expeditionem adversus Moabitas, Idumaeos, & Ammonitas procedens, Le-

y 1. Reg. 17. 48. & 2. Reg. 2. 14.

z Vide Lips. de Milit. Rom. 14. cap. 10. a Num. 23. 21.

b Num. 31. 6.

c 2. Par. 13. 12.

vitas cum musicis Templi instrumentis in ipsa aciei fronte statuit, veluti si ad triumphum proficiscendum fuisset; certam enim sibi spondebat victoriam, quam Johaziel Propheta oraculo praedixerat (d). Successu temporis Joannes, & Juda Macchabaei filii Simonis Summi Sacerdotis exercitum. Cendebei non aliis armis quam buccinarum clangore fugarunt. 1. Macc. 16. 8.

Sedulo tamen distinguenda sunt duo buccinarum genera: alterum, de quibus modo didi, solis Sacerdotibus permissum; alterum, quod ipsissima erant cornua in usum Ducum, cogendis militibus & canendo receptui destinata. Aod post occisum Eglonem Regem Moab, montes Ephraim discurret, inflato cornu copias ad pugnam cogens, collectaque militum manu impetum in Moabitas fecit (e). Simili apparatu Gedeon milites in Madianitas coegit (f). Saul cornu in Philisthaeos signum praelii dedit, deletis antea à Jonatha hostibus Gabaam defendentibus [g]. Joab pariter cornu recepit cecinit, ut ardorem insequendi hostes suorum reprimeret (h). Idem praestitum in praelio adversus Absalon (i). Seba filius Bochri populum ut unà secum arma caperet, inflato cornu excitavit (k). Hac arte facilè ingens copiarum numerus cogebatur; longè enim latèque discurrens sonus omnes excibat, cum maxime regio esset angustis limitibus clausa, incolis frequens, seu vicis parum inter se distantibus consista; ac tandem populus rebus novis studeret.

Receptum etiam apud Palaestinos, speculatores in turribus editisque locis constituere, qui si forte hostes prospexissent, sive clangore buccinae, sive malo aliquo in cacumine levato indicium ejus rei civibus praebant: *Si clanget tuba in civitate, & populus non expavescet? ait Amos 3. 6. Si speculator viderit gladium venientem, ait Ezechiel 33. 3. 4. & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est*. Et Jeremias 6. 1. *In Theuca clangite buccina; & super Bethaven levate vexillum, quia malum visum est ab Aquilone*. Porro signum illud in editis montibus statuebatur; lucis enim cacumina montium vestiebantur, quorum arbores accensis in fastigio ignibus ardebant, vel panno aliquo, cujus longè prospectus foret, distinguebantur: *Omnes habitatores Orbis, qui morantur in terra, ait Isaias 15. 2. 3. cum elevatum fuerit signum in montibus, videbitis, & clangorem tuba audietis*. Et alibi (l): *Laxati sunt funiculi tui, sic erit malus tuus, & dilatare signum non queas*. Absalon Regnum affectans socios conspirationis admonuit, ut cum primùm tubam clangentem audirent, statim ab omnibus clamaretur: *Vivat Absalon (m)*. Salomonem (n), & Jehu (o) venientes tubae clangentis indicio agniti sunt. Cum Holofernes in obsidionem Bethuliae processisset, constituti in montibus & angustis viarum milites, tum & in omnibus Urbium turribus ignes accensit (p).

d 2. Par. 20. 14. 21.

Duces cornibus clangebant.

e Judic. 13. 27. Statim insonuit buccina in monte Ephraim, descendunt cum eo filii Israel.

f Judic. 6. 34. g 1. Reg. 13. 3. h 2. Reg. 2. 28. i 2. Reg. 18. 16. k 2. Reg. 20. 1.

Speculae & signa in aedibus turribus, & montibus.

l Isai. 33. 23. Vide, si lubet, & Isai. 5. 26. & 11. 12. & 13. 3. & 30. 17. & 49. 22. Jerem. 4. 7. & c.

m 2. Reg. 15. 10. n 3. Reg. 1. 34. o 4. Reg. 19. 13. p Judith 7. 5.